





10350.

1791, 21.

PROCANCELLARIVS

D. CHRISTIANVS RAV

SVPREMAE CVRIAE PROVINCIALIS ET COLLEGII  
IVRISCONSVLTORVM ASSESSOR INSTITVTIONVM  
PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS

SOLLEMNIA INAVGVRALIA

PRAECLARISSIMI CANDIDATI

FRIDERICI CAROLI HAVSMANNI

LIBERALIVM ARTIVM MAGISTRI

A. D. X. FEBRVARI A. C. N. c1010ccxci

PVBLICE CELEBRANDA

I N D I C I T

PROFESSOR

D. CHRISTIANUS RAV

VERBODEN TOEGANG TO DEZELVE

PROFESSOR

SOLLENNIA

FRANCISCA

FREDERICI CAROLI HAVSMANNI

DIRECTIONE

A. D. M. FREDERICI A. C. M. CLASSICI

FRANCISCA

1812



VI

---

DE  
VARIIS SATVRNINIS  
IVRECONSVLTIS.

**R**ecte quidem Io. AVG. BACHIVS<sup>a)</sup> scripsit, distinguendos accurate a se inuicem esse varios illos veteres Iurisconsultos Romanos, quibus cognomen Saturninorum fuit, neque plane inter se confundendos, ut factum est ab ANTONIO AVGVSTINO<sup>b)</sup> atque EDMVNDO MERILLIO<sup>c)</sup>, qui plurium ac diuersorum nomina vni tribuerunt, quem QVINTVM CLAVDIVM VENVELEIVM SATVRNINVM appellarunt, decepti quippe errore indicis Iuris consultorum libro Pandectarum Florentinarum praefixi, qui, ut IAC. CVIACIVS<sup>d)</sup>, CORN. VAN BYNCKERSHOECK<sup>e)</sup>, HENRICVS BRENCMANNVS<sup>f)</sup>,

A 2 et

a) in *Histor. Iurisprud. Roman.*  
*Lib. III. Cap. 2. Sect. V. §. 24. pag.*  
484.

b) de nomin. propr. *Pandect. Flo-*  
*rent.* in EVER. OTTONIS *Thesauro*  
*Iur. Ciuil. Tom. I. pag. 196. b.)*

c) *Observation. Lib. VIII. cap. I.*  
d) *Observat. Lib. II. cap. 21. edit.*  
HEINECCIUS pag. 44.

e) ad *L. Axiomae p. 5.*  
f) in *Histor. Pandectar. Lib. II. cap.*  
*3. pag. 126.*

## IV

et IO. PETR. A LYDEWIG<sup>e)</sup> docuerunt, a priuato homine confectus variis vitii laborat, neque omnes Iuris consultorum libros complectitur, e quibus capita Digestis illata sunt, atque hac etiam parte mancus repertus fuit. Obseruarunt enim GVIDO PANCIOROLLVS<sup>h)</sup>, EVER. OTTO<sup>i)</sup>, ABR. WIELINGIUS<sup>k)</sup> et FRANC. CAROL. CONRADI<sup>l)</sup>, librum singularem CLAVDII SATVRNINI *de poenis paganorum*, cuius fragmentum *L. 16. D. de poenis* seruat, quod simul Iurisconsultum hunc Demosthenis atque Homeri<sup>m)</sup> lectione arguit, male ac perperam VENVLEIO SATVRNINO adscriptum in hoc indice esse, CLAVDIO quidem inter triginta octo illos Iurisconsultos, quorum nomina et libri illic excitantur, plane omisso, propterea quod librarius duos vnum putasset, cum tamen sint potius a se inuicem diuersi. Verum tamen in eo varia ratione humani quid passus est BACHIVS, primum quod relicta atque neglecta GVIL. GROTII<sup>n)</sup> opinione, quam et latius probauit IO.

GOTTL.

g) in *vita Iustiniani cap. VIII. pag. 182.*

h) in *Theaur. Var. Lect. Lib. II. cap. 139. in IO. GOTTL. HEINECCIJ Iurisprud. Rom. Antic. Tom. II.*

i) in *Praefat. ad Tom. I. Thes. Iur. Ciuil. pag. 23.*

k) in *Iurisprud. restit. Tom. I. pag. XLIII.*

l) in *notis criticis ad indicem Iurisconsultorum Florentinum a LAVR. THEODOR. GRONOVIO emendatum, et eius Historiae Pandectarum athenicae adiectum pag. 161. not. z.)*

m) Erat nempe ICtis in more positum, vt nonnunquam videntur auctoritate veterum Poetarum, Oratorum, Philosophorum, Medicorum et Comicorum, v. c. Homeri, Demosthenis, Platonis, Hippocratis et aliorum. Cf. IO. HENR. SCHLEGELII *Diss. de Poetarum sigillatimque Homeri auctoritate apud Iurisconsultos Praeside FRIDERICO STRVNZIO Wreebergae. 1771. defensa.*

n) in *vitis ICtorum Lib. II. cap. II. pag. 191.*

GOTTL. HEINECCIUS<sup>o)</sup>, non tres, sed duos tantum Iurisconsultos SATVRNINORVM cognomine celebres statuit, deinde quod CLAVDIVM incertae aetatis Iurisconsultum pronunciauit, denique quod VENVEIO SATVRNINO aetatem, qua vixit, plane falsam assignauit. Sane IO. BERTRANDI<sup>p)</sup> auctoritate, cui etiam duo tantum SATVRNINI fuisse videntur CLAVDIVS ac VENVEIVS, ita, vt CLAVDIVM praenomine QVINTI vsu esse asserat, existimetque QVINTVM et CLAVDIVM vnum eundemque hominem fuisse, res illa non conficitur. Alium enim QVINTVM, alium CLAVDIVM fuisse luculenter GVIL. GROTIVS ostendit. Cuius sententiam etsi deseruit EVER. OTTO, adeo vt nec a dicitariis sibi temperans scriberet, se huius inuenti gloriam GROTIUS non inuidere; certum tamen est, QVINTVM et CLAVDIVM duos diuersos Iurisconsultos fuisse. Nam VLPIANVS Libro XXII. ad Edictum in *L. 13. §. 5. D. de iureiur.* expressis verbis meminit QVINTI SATVRNINI, dicens eum cuidam VLPII MARCELLI opinioni consentire, eamque argumento aliquo adhuc probare. Deinde idem VLPIANVS Libro XX. ad Sabinum in *L. 19. §. 7. D. de auro argento mund. legat.* QVINTI SATVRNINI librum decimum ad Edictum excitat, e quo simul intelligimus, oportuisse ab eo libros ad Edictum exaratos fuisse. Quis autem veterum vnquam memoriae prodidit, eiusmodi libros ad Edictum aut

A 3

CLAV-

<sup>o)</sup> in programm. *de variis Saturninis Iureconsultis* IO. LVD. VHLII *opusculis ad Historiam Iuris pertinentibus*

quae Halae 1735. quaternis prodierunt, adiecto pag. 353.

<sup>p)</sup> *de Iurisperiis. Lib. I. cap. 21. et Lib. II. cap. 25. pag. 263.*

## VI

CLAVDIUM, aut VENULEIUM SATVRNINOS scripsisse? His quidem argumentis HEINECCIUS probavit, QUINTVM SATVRNINVM Iurisconsultum extitisse, et a CLAVDIO eiusdem cognominis Prudente diuersum fuisse. Quae si BACHIO haud placuissent, qui HEINECCIUM errore GROTIUM secutum esse scribit, ea debuisset confutare. Cautius aliquantum ea in re HERMANNVS OOSTERDYK<sup>q)</sup> processit. Is quidem HEINECCIUM laborem haud nouit, saltem cum non laudauit. At quamquam ipsi quoque QUINTVS et CLAVDIVS SATVRNINI iidem videntur, quoniam ait negari non posse, tempus vtriusque haud male conuenire, tamen cum aliunde, vt ipse profitetur, ipsi nihil fuerit ad manum, vnde haec lis componi posset, suum iudicium non interposuit, nec temere hic quicquam pronunciauit, cum propter ipsam rei incertitudinem, tum quia in alia omnia discedere IOANNEM VAN DE WATER<sup>r)</sup> vidit. Sensit nempe Vir Consultissimus ipsius coniecturam difficultatibus premi, quae facilius obuerti, quam tolli posse videntur. Quodsi enim ipse concessit, CLAVDIUM SATVRNINVM fuisse MARCELLO aequalem, non potest idem cum QUINTO SATVRNINO fuisse, quem VLPIANVS in *L. 13. §. 5. de iur. iur.* modo excitata scribit MARCELLO consensisse, eiusdemque sententiam argumento firmasse. Haud enim solent aequales ICTI se invicem

q) in Dissertatione inaugurali ad  
*fragmenta quae ex VENULEII SATVRNINI ICTI Libris de Officio Pro-*  
*consulti supersunt Traiecti ad Rhenum*  
*defensa ao. 1755. in 4to, capite I. quod*  
*VENULEII SATVRNINI vitam con-*

tinet pag. 7. Extat etiam haec Diss. in  
 OELRICHI *Theor. nou. Diss. Iur. Sc-*  
*lect. Vol. I. Tom. II.*

r) *Observat. Iur. Civil. Lib. II.*  
 cap. 4.



vicem aut iuniores laudare, id quod AEGIDIUS MENAGIVS<sup>1)</sup> et CORNELIVS VAN BYNKERSHOECK<sup>2)</sup> clare demonstrarunt, quod tamen oporteret factum esse, si QVINTVS et CLAVDIVS iidem essent, cum CLAVDIVM compertum habeamus illo tempore floruisse. Vnde etiam colligimus, QVINTVM recentioris aetatis fuisse, licet caeteroquin temporis momentum, quo vixerit, accurate definiri haud possit. Parum etiam recte BACHIVS scripsit, CLAVDIVM SATVRNINVM incertae fuisse aetatis. Nunc enim certo scimus, Iurisconsultum hunc sub DIVO PIO, nec non sub MARCO COMMODO et LVCIO VERO Imperatoribus, qui et in Iure nostro Diui fratres vocantur, floruisse. Nam cum haec quidem CLAVDIO SATVRNINO Diuum PIVM rescripserit in *L. I. §. 2. D. quae res pignor. vel hypoth.* nec non in *L. 4. pr. D. de legation.* legamus, eundemque CLAVDIVM sub MARCO et LVCIO praeturae gessisse, insignis illa quaestio forensis in *L. 6. §. 7. D. mandati* de Mario Paulo pro Daphnide fidenter, quippe quae coram eo praetore disceptata est, evincat, quam late IO. BERTRANDVS<sup>3)</sup> excussit, nihil certius est, quam hoc, eum sub horum Principum imperio vitam degisse. Quae quidem argumenta ab HEINECCIO ad probandam aetatem, qua CLAVDIVS SATVRNINVS exstitit, prolata, quomodo fugere potuerint BACHIVM, profecto non intelligo, cum iam eadem ipsa, licet breviter, attigerit EVER. OTTO, quem hic toties excitavit BACHIVS, et in iudicanda SATVRNINO.

1) *Annoeiras. Iuris Civilis cap. 11* 2) *Observat. Iur. Civil. Lib. V. cap. 23.*

3) *de Iurisperit. Lib. II. cap. 25.*

(NINORVM aetate sequi etiam voluisse videtur. Nec denique VENVLEIVS SATVRNINVS temporibus Diui Pii, vt BACHIVS vult, in viuis fuit. Recte enim iam GUIDO PANGIROLLVS animaduertit, hunc Iuris Consultum sub ANTONINO CARACALLA, quin etiam sub ELAGABALO et ALEXANDRO SEVERO vixisse, quod etiam probant EVER. OTTO, nec non HEINECIVS, qui adeo errorem suum, quo in elementis Iuris Ciuilis ad Digesta<sup>v)</sup> eum ad Antoninorum aetatem retulerat, agnovit et correxit. Et sane Caracallam aequae ac Alexandrum nostro rescripsisse e *L. i. C. de excusat. veteran.* et *L. i. C. quib. non obiit. long. temp. praeser.* patet, in quo altero loco cum VENVLEIVS, in priori autem SATVRNINVS appelletur, inde HEINECCIUS argumentatus est, dubitari non posse, quin pleno nomine VENVLEIVS SATVRNINVS sit vocatus. Parui quidem momenti esse HERMANN. OOSTERDYCK<sup>w)</sup> ait argumentum ex auctoritate horum rescriptorum ductum ad probandum, Iurisconsultum hunc istorum Imperatorum aetate clarum extitisse; eruditos tantum in utroque hoc rescripto praesidium suae opinionis de aetate huius Iurisconsulti sub his Imperatoribus inuestiganda ideo quaesivisse, quod existimassent, illis confirmari LAMPRIDI<sup>x)</sup> illum notissimum locum, ubi inter Iurisconsultos, quos Historicus ibi refert in Imperatoris ALEXANDRI SEVERI consilio fuisse, etiam VENVLEIVS noster connumeratur. Verum cum hoc modo HERM. OOSTERDY-

CKIO

v) ad Tit. D. de Orig. Iur. Part. I. §. LXXXIII.

x) in vita ALEXANDRI SEVERI cap. 68.

w) c. l. cap. I. §. 2. pag. 6.

CKIO post abnegatam his rescriptis fidem probationis, haud aliud superfit argumentum ad ostendendam VENVLEII aetatem, quam quod ex illo LAMPRIIDI loco desumitur, quo etiam omne opinionis suae fundamentum superstruxit, locus autem ille, quemadmodum eruditi iam dudum animaduverterunt, corruptus sit, atque culpa libroriorum deprauatus, ut adeo CLAVD. SALMASIUS<sup>7)</sup> demum ex vetustis Regiae Bibliothecae Parisiensis et Puteani membranis eum genuinum et integrum restitueret; oportet profecto, si exinde probari debeat tempus, quo VENVLEIVS noster inclaruit, horum rescriptorum inprimis aliquam rationem haberi, in quo probationi ex hoc loco petita vis maior ac fortius pondus accedat. Hoc saltem modo probabile reddere studuit EVER. OTTO<sup>2)</sup>, quosdam Iurisperitos, qui in illo LAMPRIIDI loco reperiuntur, tum vixisse, ideoque ab AELIO commemorari potuisse, cum etiam eiusmodi rescripta ab ALEXANDRO SEVERO Imperatore ad hos Iurisperitos emissâ extent, id quod EVER. OTTO exemplis FLORENTINI, MARCIANI ipsiusque VENVLEII nostri probavit, ut adeo is locus aliquam demum vim horum rescriptorum auctoritate nactus esse dici possit. Sensit hoc etiam quodammodo HERM. OOSTERDYCK. Nam etsi asserit, inferuisse haec ANTONINI CARACALLAE et ALEXANDRI SEVERI rescripta ad VENVLEIVM data magis responsioni ad priuatam militis consultationem, quam decisioni dubiorum a Iurisperito aliquo obmotorum; ipse tamen postea haud est diffusus, se non ignorare

<sup>7)</sup> in nos. ad b. l. (ed. de z) in Papiniano cap. XI. pag. 334.

norare, quam leui de causa Imperatores non a vulgo tantum, sed et a grauissimis ac prudentissimis viris fuerint aditi, id quod et amplius IAC. GOTHOFREDVS<sup>a)</sup> docuit. Quid igitur mirum, etiam VENVLEIVM SATVRNINVM hos Imperatores precibus adiisse consuluisseque et ab iis deinceps rescripta impetrasse. De libris, quos CLAVDIVS et VENVLEIVS SATVRNINI scripserunt, nihil addo. Satis enim de illis HEINECCIUS iam dixit. Illud tantum silentio haud praetereundum duco, minus accurate etiam BACHIVM scripsisse, VENVLEIVM SATVRNINVM esse auctorem *Librorum VII. Disputationum*. In indice Florentino hi libri plane non memorantur. Nec recte se habere, aut genuinam esse inscriptionem *L. 18. D. iudicat. solui*, quae viros doctos in hanc opinionem deduxit, vt a VENVLEIO eiusmodi libros profectos existimarent, IAC. LABITTVS<sup>b)</sup> iam animadvertit, cuius etiam coniecturam verisimilitudine haud destitutam HEINECCIUS putat, propterea quod facilis potuit esse lapsus vel collectoris vel librarii *Disputationum libros* fingentis pro *libris stipulationum*. Nec improbanda est HERM. OOSTERDYCKII coniectura suspicantis, aut legendum *stipulationum*, aut librarios iniqua et inconsulta liberalitate tribuisse VENVLEIO, quod eius non est, sed VLPIANI, cuius constat decem libros *Disputationum* extare. Quid quod etiam probabile reddidit, eam ipsam rem, de qua in cit. *L. 18. D. h. t.* agitur, ab VLPIANO Libro septimo modo laudati operis sui expositam esse, cum id e *L. 13. D. iudic. solv.* et *L. 44. D. de procurat. et defens.* quod

<sup>a)</sup> ad *L. 1. Cod. Theod. de relation.*

<sup>b)</sup> in *usu Indic. Pandect. VI. §.* in WIELINGII *Iurisprud. restit. pag. 15.*

quod utrumque fragmentum ex *VLPiani* Libro septimo Disputationum defamatum est, manifesto liqueat. Vnde et ipsi, qui similiter aliquando <sup>c)</sup> Disputationum libros a *VENULEIO* exaratos esse erronee scripsimus, hanc sententiam nunc meliora edocti retractare volumus. Atque haec quidem placuit adhuc aduersus *BACHIVM* modeste, vti merebatur viri Summi eruditio singularis, de aetate, qua Saturnini Iurisconsulti inclaruerunt, disputare. Caeterum neminem putamus fore, cui labor noster in re exigui momenti ac parum pretii habitura versatus esse videatur. Quod si tamen quis forte hoc sibi persuaserit, eum scire volumus, quod iam *AE. MENAGIVS* <sup>d)</sup> inculcavit, nosse debere Iuris studiosos, veteres Iurisconsulti, quales fuerint, quando vixerint, et quid scripserint. Certe harum rerum ignorantia haud decet eos, qui penitiori Iuris Ciuillis Romani cognitione instructi esse sibi et aliis videri volunt. Et meminimus cuiusdam, qui nuper admodum magnum risum deberet vris doctis harumque rerum peritis, cum probare veller, restitutionem in integrum minoribus edicto Praetoris promissam in antiquissimis habendam esse, et vteretur potissimum argumento hoc, quod illud ex inscriptionibus Digestorum colligliceret, vbi Iurisconsulti Tullio aequales eius tanquam rei in vulgus notae meminissent. At id ipsum erat, quod haecenus ignorabamus miseri!. Sane qui inscriptiones has vel leuiter tantum inspexerit, ei non poterit non in oculos incurrere, frag-

B 2

menta

c) in *Disp. de Claudio Tryphonino Iuris Consulto Romano*, Lipsiae 1768. defensa §. 12.

d) *Amoenitat. Iuris Ciuillis cap. VII.*

menta haec, quae titulo Digestorum de minoribus viginti quinque annis illata sunt, prorsus non desumpta esse e libris Iuriscultorum, qui Tullii Ciceronis et liberae reipublicae tempora viderunt, sed potius e libris CAII, QELSI, POMBONII, AVRO NII VALENTIS, CERVIDII SCAEVOLAE, MARCELLI, AFRICANI, TRYPHONINI, PAPINIANI, CALLESTRATI, PAVLLI, VLPIANI et HERMOGENTANI, quos omnes in vulgus constat et de pondiis adeo notum est, sub Imperatoribus demum floruisse. Quem praeterea usum cognitio librorum, quos veteres Iuriscultuli scripserunt, in ipsis rerum argumentis praestet, Illustris PVITTMANNYS \*) noster sententia Illustris Iuriscultorum Lipsiensium Ordinis clarissime probavit. Cum enim disceptaretur super quaestione, ut an testis in probatione iam productus etiam in reprobatione admitteendus esset, idque ea litigantium pars, quae incommodum inde metuebat, negaret, vocata in auxilium auctoritate L. 23. D. de testib. ubi Iuriscultus VENULEIVS ait, *produci testis is non potest, qui ante in eum rem testimonium dixit.* Iuriscultuli Lipsienses restem hunc haud repudiandum censuerunt, rationem sententiae e sola inscriptione L. c. petentes. Quae cum ita se habeat: VENULEIVS Lib. I. de publicis iudiciis, recte inde argumentati sunt, illud caput, quoniam de processu tantum accusatorio ageret, ad causas civiles hodie nullatenus extendi posse.

\*) in quaestionum forensium specimine primo Lips. 1777. cap. VI.

Sed haec placuit praefari indicendis solemnibus, quibus  
Doctissimus Iuris Candidatus Vir Praeclarissimus

### M. FRIDERICVS CAROLVS HAVSMANN

Doctör creabitur. *Natus is est Pirnae die X. Iulii Anno  
C1080CCLXVII. patre CHRISTOPHORO CAROLO ad eadem Mo-  
nasterii Pastore, matre CHRISTIANA DOROTHEA, CAROLI GO-  
DOFREDI POMSILII mercatoris Pirnensis filia. Horum optimorum  
parentum, quorum tamen neuter adhuc superstes est, nec non aviae ma-  
ternae, in cuius domo inde a decimo aetatis anno educatus, cura ac sol-  
licitudine potissimum factum est, ut institutioni domestici praeceptoris  
WALTERI nunc coetus ecclesiastici in Dioecesi Dahmensi Pastoris  
traderetur, qui ipsum primis litterarum et Christianae fidei elemen-  
tis imbueret, donec in scholam patriae urbis mitteretur, ubi disci-  
pulus NITZSCHMANNI, BLÜTHNERI, LESSINGII, fratris cele-  
berrimi illius Litteratoris nec non FRANKII ei multum profuit.  
Praeterea vero in hac patria urbe didicit etiam delineandi artem tam  
qua pictores, quam qua geometrae utuntur, quippe quam ipsum NER-  
GERVS Saxonicae Legionis ballisticae Subcenturio docuit. Deinde  
cum anno C1080CCLXXXII. in scholam provinciatem, quae Misnae  
flore, se contulisset, nactus est magistros LÜDICKIVM, SCHRE-  
GERVM, TZSCHVCKIVM, MÜLLERVM atque GOTTLIEBERVM,  
quorum omnium in se merita valde laudat, inprimis MÜLLERI atque  
GOTTLIEBERI, quibus potissimum litterarum elegantiorum sensum  
at gustum se debere fatetur. Ad Academiam nostram accessit anno  
huius seculi LXXXV. a B. SCHWARZIO Rectore Magnifico tabulis  
ciuium eius inscriptis, et in Philosophia quidem vniuersa et Anthropo-  
logia PLATNERVM, in Mathefi GEHLERVM atque HINDENBUR-  
GIVM, nec non in Physica KVHNIVM doctores habuit, in Histo-  
ria autem vniuersali, litteraria et naturali ECCII, BECKII et IES-  
KII scholar frequentauit. Audiuit quoque REIZIVM, quem mors*

*immatura superiori anno Academiae nostrae et litteris eripuit, Aristotelem et Horatii artem poeticam interpretantem. Ad iurisprudentiam deinde conuersus SAMMETO potissimum adhaesit Ius Naturae et Ius Publicum Vniuersale, Historiam et Hermeneuticam Iuris Romani, Institutiones, Pandectas et Ius Germanicum tam publicum, quam priuatum docenti, nec non Historiam Imperii enarranti. Nec tamen spreuit reliquos huius Vniuersitatis doctores. Nam et SCHOTTI praelectionibus in Ius Canonicum et Criminale, nec non BIENERI in Ius Feudale interfuit. In addiscenda autem formula iudiciaria KINDIO, nunc in Serenissimi Principis Electoris Saxoniae Consilio, ad quod prouocationibus certatur Consiliario, magistro usus est, et ut artem e Commentariis iudicum referendi cognosceret, PVIITMANNI scholos adiit. Horum omnium praeceptorum in se merita quemadmodum magnopere praedicat, ita inprimis magni facit et grata mente veneratur auunculi CHRISTIANI FRIDERICI TRAVGOTT POMSSELLII ad ardem primariam patriae urbis Diaconi in se benignitatem, quam tantam fuisse ait, ut illius nunquam se obliturum esse palam polliceatur. Sed per illud ipsum tempus, quo apud nos commoratus est doctissimus Candidatus, passim etiam publice doctrinae collectae copias exposuit. Nam HINDENBURGIO quidem Ao. c1010cclxxxvii. Dissertationem de Antlia Hydraulico-Pneumatica, loci apud Philosophos obtinendi taxa, publice defendenti socius ac comes extitit. Deinde superiori anno die IV. mensis Martii Praeside RICHTERO Specimen observationum de Comitibus Palatinis Francia et Germaniae proprio Marte elaboratum in Auditorio nostro ab obiectionibus contradictorum vindicauit, et acceptis paulo post Magistri bonarum artium honoribus, eodem anno die VI. Octobr. Dissertationem de lineis spiralibus, assumpto ad respondendum socio Generosissimo viro ERN. AVG. LVDOV. a TEVBERN, pro cathedra Philosophorum proposuit atque propugnauit; cui utrique libello iustum etiam pretium statutum est a viris doctis, qui de his rebus iudicare possunt.*

Soli



Soli adhuc honores ac tituli iurisprudentiae supremi Viro doctissimo deesse videbantur. Itaque vt etiam hos consequeretur, adit Collegium nostrum, et vt voti sui compos fieret, humanissimis precibus rogauit. Nos vero eo minus honestissimo eius desiderio annuere dubitauimus, quo maiori iure hoc praemium diligentiae Vir Praeclarissimus a nobis videbatur postulare posse. Diximus igitur diem examinibus Candidatis illorum honorum subeundis, in quo vtroque expositis capitibus ex Iure Ciuili et Canonico depromtis et solutis, quae ei ex vario iure propositae erant, quaestionibus, adeo egregie doctrinam suam nobis probauit, vt cunctorum suffragiis dignus iudicaretur, cui Doctoratus in vtroque Iure honores conferrentur. Sed de hac Viri eruditione praeclara vt etiam publice constet, proximo die X. Februarii hora II. pone meridiem recitationem ad *L. XXVI. Cod. de donationibus inter virum et uxorem* habebit, et die statim sequente Dissertationem inauguralem, quae *Animaduersiones de Executione Sententiae ab Augusto Imperialis Camerae Iudicio de restituendis Episcopo Leodiensi iuribus latae Directoribus Circuli Westphalici mandata* continet, sine praeside pro cathedra Iureconsultorum defendet. Quo facto Vir Illustris, Excellentissimus atque Consultissimus D. AVGVSTVS FRIDERICVS SCHOTT, Ecclesiae Cathedralis Numburgensis Canonicus, Supremae Curiae Prouincialis et Collegii Iuris Consultorum Affectus, Pandectarum Professor Publicus Ordinarius, Collegii Maioris Principum Sodalis et Nationis Bauarico-Francicae Senior, Patronus, Fautor atque Collega venerandus, in quem Principali auctoritate et ex decreto Ordinis nostri constitutus Pro-

cancel-

cancellarius munus Promotoris transtuli, Doctoris in utroque Iure dignitatem, iura, praerogativas et privilegia tam communia, quam Lipsiensibus Doctoribus cum maxime propria, spe sola loci et suffragii in Collegio nostro obtinendi excepta, Praeclarissimo Viro more maiorum largietur ac tribuet.

Quae solemnitas ut eo maiori cum splendore coniuncta sit, RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, CELSISSIMOS PRINCIPES, ILLUSTRISSIMOS COMITES, VTRIVSQVE REIPUBLICAE PROCERES, GENEROSISSIMOS ET NOBILISSIMOS COMMILITONES omnesque bonarum litterarum fautores, ut praesentia sua honorifica illi honorum distributioni maiorem gratiam ac dignitatem conciliare velint, Candidati Ordinis nostri, meoque ipsomet nomine rogo atque oro.

Datum Lipsiae Dom. V. post Festum Epiphaniae Anno C. N. 1700ccxi.

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAU[BAR]THIA.



ULB Halle  
003 015 432



3

*sb.*







1791, 21.

PROCANCELLARIVS  
D. CHRISTIANVS RAV  
SVPRMAE CVRIAE PROVINCIALIS ET COLLEGII  
IVRISCONSVLTORVM ASSESSOR INSTITVTIONVM  
PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS

SOLLEMNIA INAVGVRALIA

PRAECLARISSIMI CANDIDATI

FRIDERICI CAROLI HAVSMANNI

LIBERALIVM ARTIVM MAGISTRI

A. D. X. FEBRVARII A. C. N. MDCCCXCI

PVBLICE CELEBRANDA

INDICIT

